2

ORYCTOGRAPHIÆ PEDEMONTANÆ

SPECIMEN,

EXHIBENS CORPORA FOSSILIA TERRÆ ADVENTITIA:

Auctore CAROLO ALLIONIO, *Ph. & Med. Doct. è Societate Physico-Botanicâ Florentinâ, & Academiâ Regiâ Matritensi.*



PARISIIS,

AD RIPAM AUGUSTINORUM,

Apud Claudium-Joannem-Baptistam BAUCHE, Bibliopolam, ad insigne sanctæ Genovefæ & sancti Joannis in deserto.

M. DCC. LVII.

Cum privilegio & approbatione.



PRÆFATIO.

Postéaquam Philosophi Naturalis historiæ partem illam penitùs illustrandam susceperunt, quæ faciem & compositionem telluris nostræ considerat, quam maximè exoptarunt, ut naturalium rerum amatores Fossilium, præcipuè marinorum, quæ unâquâque regione continentur, historiam exhiberent. Videbant enim generaliora quædam circa telluris theoriam principia definiri non posse, nisi varius telluris nostræ status probè dignosceretur. Is autem per amplissimos terrarum tractus omninò ignoratur; nec ab iis, qui regionum plurium Fossilia recensuerunt, eâ semper diligentiâ pertractata res est, ut multa non supersint desideranda. Eorum idcircò acquisitissima vota ut pro mearum virium

ratione explerem, patriæ Foſſilia inquirere cœpi, & in telluris noſtræ ſtatum animadvertere. Horum verò ingentem copiam, generum varietate ſpectabilem, colligere contigit; quo factum eſt, ut amplior mihi ſeges inſtructa fuerit, majoreſque, quàm ſperare licebat, fructus perceperim. Rem idcircò apprimè utilem & pergratam me facturum exiſtimavi, ſi breviori hoc opuſculo telluris noſtræ ſtatum, quod ad corpora marina **ſoſſilia** *ſpectat,* **exhiberem.** *Neque animus eſt, integram in eo Foſſilium, quæ noſtris in collibus obvia ſunt, hiſtoriam contexere. In tantâ enim eorum ubertate, & collium amplitudine, nimis operoſa res eſſet, & nimiùm ardui laboris. Potiſſima itaque ſolùm recenſenda curavi, eaque, quorum nativa nomina apud Auctores diſtincta reperi. Utinam interim Naturalis Philoſophiæ amatoribus ſtudium hoc meum gratum acceptumque eſſe queat: tunc enim ampliſſimam mercedem laborum meorum accepiſſe mihi videbor, novoſque in dies ſuſcipere alacriori animo contendam.*

ELENCHUS AUCTORUM
qui citantur.

ACTA Helvetica. *Basileæ*, *Vol. I*. 1751. *Vol. II.* 1755. *in-4°.*

Aldrovandi (Ulyssis) Musæum metallicum. *Bononiæ*, 1648. *in-Fol.*

Argenville. (M. d') L'Histoire Naturelle éclaircie dans deux de ses parties principales, la Lithologie & la Conchiliologie. *A Paris*, 1742. *in-4°. fig.* L'Oryctologie du même Auteur. *A Paris*, 1755. *in 4°. fig.*

Baldassari Osservazioni sopra il Sale della Creta, con un saggio di produzioni naturali dello Stato Sanese. *In Siena*, 1750. *in-8°.*

Bonanni Musæum Kirkerianum. *Romæ*, 1709. *in-Fol.*

Breynii (Philippi) Dissertatio physica de Polithalamiis *Gedani*, 1724. *in 4°.*

Commentarii de Bononiensi scientiarum & artium incremento. *Bononiæ*

Ephemeridum naturæ Curiosorum Centuriæ.

Gesneri (Johannis) Dissertatio de petrificatorum differentiis & variâ origine. *Tiguri*, 1752 *in-4°.*

Gronovii (Fred.) Index suppellectilis lapideæ. *Lugduni*, 1750. *in-8°.*

Gualtieri (Nicolai) Index Testaceorum universalis. *Florentiæ*, 1742. *in-Fol.*

Hill. historii of Fossils by John. Hill. *London*, 1748. *in-Fol.*

Jacobi à Melle, de lapidibus figuratis agri litorisque Lubecensis Commentatio epistolica. *Lubecæ*, 1720. *in-4°.*

Kleinii (Theod.) naturalis dispositio Echinodermatum. *Gedani*, 1724. *in-4°.*

Linnæi systema naturæ. Ejusdem Fauna Suecica. *Stockolmiæ*, 1746. *in-8°.*

Mémoires de l'Académie Royale des Sciences de Paris.

Mercati (Michaelis) Metallotheca Vaticana. *Romæ*, 1717. *in-Fol.*

Monti (Josephi) Dissertatio de monumento diluviano. *Bononiæ*, 1719. *in-4°.*

Planci Ariminensis de Conchis minùs notis liber. *Venetiis*, 1739. *in-4°.*

Rondeletii universæ Aquatilium historiæ pars altera. *Lugduni*, 1555. *in-Fol.*

Rumphii (Everhardi) Thesaurus cochlearum, &c. *Amstelodami*, 1705. *in-Fol.*

Scheuchzeri (Joh. Jacobi) Musæum diluvianum. *Tiguri*, 1716. *in-12.*

Targioni Tozzetti, Relazioni d'alcuni viaggi fatti in diverse parti della Toscana, per

osservare le produzioni naturali, e gli antichi monumenti di Essa. *Firenze*, 1751, 1752. *Tomi VI. in-8°. maj.*

Traité des Pétrifications. *A Paris*, 1742. *in-4°.*

Vallerius (Jean) Gottschalk. Minéralogie, ou description générale des substances du regne minéral, ouvrage traduit de l'Allemand. *A Paris*, 1753. *Tom. II. in-8°.*

Zannicchelli. Apparatus rariorum Musæi Zannicchellii. *Venetiis exhibitus, iv. kalend. Aprilis* 1720. *in-12.*



APPROBATIO.

ILLUSTRISSIMI Galliæ Cancellarii jussu opus accuratè perlegi, cui titulus est. *Oryctographiæ Pedemontanæ specimen*, &c. *Auctore Carolo Allionio*, &c. illudque dignum judicavi, quod typis mandaretur. Datum Parisiis die primâ mensis Decembris anni 1756.

LAVIROTTE,
Censor regius.



ORYCTOGRAPHIÆ
PEDEMONTANÆ
SPECIMEN,

EXHIBENS CORPORA FOSSILIA TERRÆ ADVENTITIA.



EDEMONTIUM parva regio est, montibus & collibus pene undique cincta: ad septentrionem enim, occidentem & meridiem Alpium amplissima catena est, quæ ab Helveticis producta, in Mon-Regalenses & Genuenses Alpes terminantur. Inter meridiem & orientem, in viciniis Augustæ-Taurinorum, colles nascuntur, qui deinde in magnam latitudinem sese extendentes, in Mon-Regalenses, Savonenses, Genuenses &

Dertonenses usque montes continuant, & comprehendunt Taurinensis provinciæ partem, Albæ-Pompeiæ, Montis-Regalis, Alexandriæ & Dertonæ provincias, Montem-Ferratum & Comitatum Astensem.

Alpium nostrarum compositionem ingrediuntur Schisti, Quartzi, Spathi, Talci, Micæ, Amianthi, lapidis calcarii, & mineralium, si Mercurium & Stannum excipias, omnis generis particulæ. Colles verò constituuntur ex arenis, sabulis, terris, argillis, cretis, margis, gypsis, lithantrace, sulphure, silicibus, & saxis calcariis & arenosis, quorum penè omnia per horizontalia, aut obliquè inclinata strata ponuntur. Hæc collium amplissima series (1) ea est, in quâ corpora marina fossilia adinveniuntur; & quamvis in cujuscunque materiei stratis inventa sint, certum est in terrâ sabulosâ ea frequentiùs occurrere, & cæterarum Astensem provinciam feracissimam esse. Vallis d'Andona dicta,

(1) Unico loco inter Alpes reperta sunt corpora hæc fossilia, hoc est, propè locum *le Sambucco*, inter Alpes Vinadienses.

quæ paucis ab urbe Aſtarum milliaribus diſtat, ex meris conchiliis, terrâque ſabuloſâ conflata fuiſſe videtur.

Celeberrimi viri Johannis Wallerii (1) veſtigiis inſiſtens, hæc corpora, quæ D. Hill (2) vocat *terræ adventitia*, divido in petrificata vegetabilia, petrificata animalia, & petrificata teſtacea.

Phitolitus.

Foliorum noſtratium ſtirpiumque impreſſiones, uti alni, quercûs, fagi, &c. aliquandò obſervantur in ſtratis indurati tophi. Similium etiam herbarum ectypos habeo in margâ induratâ ex valle loci *le Ferrete*. Nullibi frequentiùs adinveniuntur foliorum impreſſiones, quàm in collibus proximis oppidi *la Morra*. Strata ibi integra ſunt foliorum per ochram quamdam petrificatorum; ſed cùm arenoſæ cuidam terræ ſine ordine omninò fuerint commixta & conglutinata, difficilè integra videri poſſunt.

(1) Mineral. *Tom. II.*
(2) Hiſtory of Foſſils by John. Hill. *London*, 1748. *p.* 634.

Lithoxylum.

Ligni fossilis & lapidefacti exemplaria iis locis sæpe educuntur, quibus conchiliæ; eademque sunt variè commutata. In viciniis Vici di Agliano, in provincia Astensi, observavi integrum insignis arboris truncum dura argilla sepultum; hunc truncum torrentis proximè labentis erodentes aquæ sensim detexerunt. Id verò in eo trunco prorsus memoratu dignum adnotavi, partim in nitidum lithantracem, partim in durum silicem scintillas levi ictu præbentem mutatum esse, & partim adhuc exhibere facilè rasilem ligni substantiam. Truncum universum bituminis succus penetravit. Hoc trunco separatum specimen in Musæo meo teneo, quod hos tres status una ostendit. Dertonenses colles ligni frusta habent non pauca, quorum quædam durissima sunt, ad levem percussionem scintillas excutientia; alia bitumine penetrata sunt, & veluti in lithantracem mutata; alia pyritis naturam adepta sunt, aërique exposita

vitriolum produnt. Ligna demum Dertonensis servati frusta habeo, quæ inter ipsa sulphuris strata reperta sunt. In valle loci *Col de Ferrete*, frusta & trunci arboris variè lapidefacti exstant.

Longè quàm alio ullo loco copiosiùs Lithoxyli colligi possunt in collibus oppidi *la Morra*. Ibi rarissima Fossilia hujus generis adinveniuntur, quæ detexit rerum naturalium scrutator eximius Dominus Richerius; eorumque nonnulla humanissimè ab inventore ad me missa, pulcherrimum Musæo meo præbent ornamentum. Ligna fossilia hujus loci multiplicis naturæ sunt; nonnulla merè fossilia; alia in verum lithantracem commutata, & ex his aliquot in terram carbonariam resolvuntur; alia terrificata. In silicem durum conversa plura sunt, siliceo fluore in aliquibus chrystallisato. Frusta demum ligni parùm mutati ex hoc loco ab eodem amico obtinui in gypsi stratis adinventa, quæ chrystallis gypsi rhomboidalibus tecta sunt. Curiosa, raraque plura, quæ iis in collibus adsunt, profectò merentur,

ut velit eas, quas super ea fecit inventor observationes, publici juris facere.

CARPOLITHUS.

Fructum nucis juglandis ochrâ quâdam terrificatum humanissimè largitus est mihi amicissimus Richerius. Similes fructus, aliique, aliquandò in memoratis collibus *della Morra* adinveniuntur. Observatu dignum est, corticem, seu testam osseam fructûs nucis juglandis consumptam fuisse, integerrimo superstite fructu.

Petrificata testacea, & petrificata animalia quod attinet, quoniam multa genera comprehendunt, potissimamque nostrorum Fossilium partem constituunt, in varia genera erunt distinguenda. Hæc constituens, insequar præclari viri Johannis Gesneri ordinem eum, quem exhibuit in doctissimâ suâ de petrificatorum differentiis & variâ origine dissertatione. Anteaquam verò hæc omnia genera animantium, aut illorum exuviarum fossilia recenseam, mihi necessum est nonnulla generatim præmittere, quod ad strata

continentia, testaceorum repertorum faciem, eorum ordinem, positionem & distributionem.

Diximus colles nostros efformari à stratis, aut horizontalibus, aut paulisper inclinatis rerum diversarum; easque esse arenas, sabula, terras, argillas, cretas, gypsum, lithantracem, silices & saxa, tum calcaria, tum arenaria; & in quibuscunque harum rerum stratis occurrere extranea corpora. Frequentissimè in sabulosis terris reperiuntur; minùs frequenter in cretis & argillis; & adhuc rariùs in reliquis enunciatis substantiis.

Conchitæ lunati Mercati observantur in ipsis lithantracis; & ex iis educta exemplaria habeo, quæ eruta sunt in collibus *Taurinensibus* & vici *le Mollare*.

Gypsi fodinæ, quæ in Monte-Ferrato sunt in collibus loci *Alice*, suppeditant conchilia plura gypso penetrata. Quæ bivalvia sunt, substantiam habent conchilii gypso intimè fartam: turbinata verò ex parte gypso pervasa sunt; sed continent modulum, quod purissimum, transparens, & in lamel-

las facilè scindendum gypsum est, nihil à lamelloso nativo gypso diversum. Gypsi fodinæ, quæ in oppidi *la Morra* vicinius sunt, præbent lignum fossile totum onustum rhomboidalibus gypsi crystallis.

In colle quodam *di Sciolze* Neritulam reperi, cujus nucleus ex purissimo achatino silice est: hujusmodi fluore oppleta conchilia minimè rara sunt in collibus Dertonensibus. Plura habeo specimina diversorum conchiliorum achatem pro modulo habentium ibi collectorum, sunt autem sequentia:

Fusus brevis. Rumph. Thes. Tab. XXIX. G. *Voluta meta butyri*. Rumph. Thes. Tab. XXI. C. *Dentalis uterque Bononiensis striis tenuioribus, & crassioribus praditus, dolium crassum, flavidum, striis & umbonibus regulariter dispositis cinctum*. D'Argenv. Conch. Tab. 20. P. *Cochlea conoidea, umbonata, umbone papilloso, apice striato, candida, magnis maculis luteis nebulata*. Gualt. Tab. 21. D. *Strombus sulcatus vulgaris, levis, candidissimus, maculis croceis seriatim dispositis circumdatus, & lucidè notatus*. Gualt. Tab. 53. G. *Cochlea umbilicata* Mus. Kirk. cl. 3. n. 225. *Et Buccinum turris Babylonica dictum*. D'Argenv. Conch. T. 12. M.

Achate

Achatæ plena conchilia animadvertit jamdudum in agro Bononiensi Josephus Montius, & de iis plenam dissertationem exhibuit. (1) Etruria etiam, in Senensi agro, porrigit (2) conchilia, quorum nuclei ex durissimo, lævi & splendente achate sunt. Dertonensia nostra contuli cum Bononiensibus, quæ in Musæo meo prostant ex humanitate amicissimi viri Ferdinandi Bassii; nihil à Bononiensibus differunt: utraque in postremis spiris habent nitidum album achatem; in primis amplioribus cretam cæruleam, cujus externus potissimùm cortex siliceus est.

In marmoris substantiam commutata conchilia continet marmor di *Gassino* dictum; lapidis calcarii substantiam exhibentia habent mons *Crea*, colles vici *Moncalvo*, aliique; cum arenâ in lapidem coagmentata colles quidam Augustæ-Taurinorum, di Monteu secùs Padum, Arrignani, Montafia, aliorumque locorum. Collis quidam

(1) Comment. Bonon. *T. II. p. alt. p.* 288.
(2) Baldassarri osserv. *pag.* 6. *lin.* 25.

Taurinensis præbet conchilia arenario lapide plena: sed eorum substantia in seleniticos triquetras crystallos conversa est; & in collibus quibusdam vici *Sessantæ* conchiliorum nuclei reperiuntur, quorum cortex arenaria concretio est, interiori facie seleniticis triquetris chrystallis ornata.

Quæ in argillis sese offerunt conchilia, sæpe nonnisi nucleos præ se ferunt: in arenis, granis majoribus lapidefacta; in cretis & arenosis terris, optime servata apparent; & in locis nonnullis, ut neque nativi coloris vestigia desiderentur. *Pectunculos*, *Balanos*, *Conchas*, *Volutas*, *Ostrea*, &c. suos adhuc colores exhibentes habeo ex valle d'Andona, & Dertonensibus collibus. Quid plura? Ostreitæ mihi sunt in valle d'Andona collecti, in quibus præter conchilii residuum colorem, distinctè videtur aliqua superstes animalis portio, in intimiori conchilii facie ibi compressa, & in lapidem commutata.

Nativo colore insignita conchilia recensuimus; nunc testarum alienigeno colore indutarum invisum adhuc

exemplum referendum. In colle quodam vici *Sciolze*, loco di *Fagnor* nuncupato, collegi conchilia plura multorum generum, quæ cæruleum colorem præ se ferebant.

Hoc colore non omnia æquè imbuta erant; & ex coloris varietate intuli, conchiliorum positionem multùm contribuisse. Minora quædam ex integro cærulea sunt; majora verò plerumque alterâ solùm facie cæruleo colore depicta: ex hâc idcircò observatione in hanc incidi opinionem, stratum colorantis materiæ, continens hæc conchilia, ita sese habuisse, ut in eo minora ex toto, majora verò ex parte solùm immergerentur. Sed hæc, quæ parvi momenti sunt, omittenda, & in causam hujus coloris est inquirendum. Hæc mihi colligenti accidit, ut dentem animalis eo loco reperirem, qui ex cæruleo flavescebat, magnamque duritiem acquisierat. Subiit statim animum dubitatio, hæc fortasse à succo quodam Turcosiæ fuisse colorata; & eapropter consului doctissimam, quam de Turcosâ Galli-

câ (1) scripsit Cl. Reaumurius dissertationem, & in eâ reperi apprimè exhibitum dentem similem omninò illi, qui à nobis in memorato loco fuit collectus. Cum dentis illius unicum exemplar esset, noluimus experiri, num igne, ut Turcosa Gallica, mutaretur; quod certò experimentum instituetur, statim ac aliud hujusce naturæ specimen nancisci datum erit. In conchiliis ex parte cæruleis variis ignis gradibus exploravimus, num color diffundi posset, quemadmodum in Turcosâ Gallicâ; sed inutilis exstitit hanc in rem conatus omnis, & diligentia nostra: color nihil unquam sese extendit. Longo igne aliquantulùm infirmatur, diu tamen ignis vim sustinet absque ullâ diminutionis notâ. Dentium ossiumque structura sanè potest coloris dispersionem juvare, cùm cellulis vasisque communicantibus ea componantur, non eâdem ratione conchilii, quod organicum corpus est, non per *intrisceptionem*, ut aiunt Physici, sed per substantiæ calcariæ *appositionem* natum.

(1) Mém. de l'Acad. an 1715.

Quod tandem ad ordinem, positionem, & distributionem horum Fossilium pertinet, sequentia adnotavimus. Lithanthracis in stratis conchites lunatus aliquandò ostenditur; in argillis & cretis tenuioribus, subtiles tenuesque conchæ, & echinorum impressiones obviam veniunt. Arenarii lapides firmioris substantiæ conchas cochleasque habent. Sabulosæ terræ minuta & tenera conchilia ut plurimùm continent; quod tamen perpetuum non est. Sic vallis *d'Andona* ostreitas maximos præbet, quorum nucleus est sabulosa terra, infinita penè multorum generum, majora, minora & minima conchilia comprehendens. Alicubi videas ostreitas penè solos; alibi balanitas; alibi *concham crassam, ponderosam, hirsutam, &c.* Gualt. alibi verò multa multorum generum inter se confusa. Plurima ex conchiliis nostris fossilibus respondent nativis proximi maris mediterranei; sed inter ea non pauca occurrunt, aut ignota, aut quæ nunc nonnisi à remotissimis maribus habentur. Demum observavi, seu conchiliorum genera,

seu eorum conservatio, seu continentia strata considerentur, cum Bononiensibus & Etruscis nostra plurimùm convenire.

Corallia.

Parcè satis Corallia nostris collibus continentur. Madreporas, vulgò *Fungitarum* nomine notas, *Dertonensis* ager suppeditat; & aliquot etiam collegi, tum in valle *d'Andona*, tum in collibus loci dicti *Sciolze*, in provincià Taurinensi. Madreporæ vulgaris insigne exemplar detexit in viciniis Augustæ-Taurinorum Dominus Bonzini, Regii laboratorii metallurgici Director, & Custos Regii metallurgici Musæi, qui commissi Musæi suppellectilem omni studio augere nititur. Mirum sanè in tantâ conchiliorum, quibus referti sunt nostri colles, ubertate, tam rarò corallia fossilia adinveniri.

1. Madrepora simplex, ramosa, ramis teretibus striatis. *Gesn. Diss. p.* 17.
2. Madrepora simplex, ramosa, ramis teretibus lævibus. *Gesn. Diss. p.* 17.

Utraque hæc Madrepora effoditur prope Taurinum, & postrema etiam prope locum *Sciolze*.

3. Madrepora composita ex cylindris per diaphragmata connexis. *Linn. Amæn.* 96. *fig.* VI. *n.* 1. & *Gesn. ibidem*.
4. Madrepora composita lateribus coadunatis, aggregata stellis circularibus. *Gesn. Diss. ibid.* An Astroites Pedemontanus *Jacobi à Melle*, *p.* 12.
5. Millepora, poris confertis minimis, majoribusque crenatis, remotis. *Linn. Amæn. p.* 99. *fig* XXIV.
6. Millepora, poris contiguis subrotundis, diaphragmatibus transversalibus plurimis. *Linn. Amæn. p.* 102. *fig.* XXIII.
7. Madrepora composita ex cylindris per diaphragmata connexis, stellis angulosis.

Has numeris 3, 4, 5, 6, 7, recensitas Madreporas omnes præbet collis quidam *di Sciolze*.

8. Madrepora simplex, turbinata, lævis, stellâ concavâ. *Linn. Amæn. p.* 87. *fig.* VII.

B iv

Ex Scolæ, vico di *Mondovi*, *Dertona*, & *Augustâ-Taurinorum*.

9. Madrepora simplex, conum compressum referens, caryophillorum fossilium nomine nota. Ex *Dertona*.

10. Madrepora simplex, turbinata, striis & tuberculis aspera, stellâ concavâ.

Ex vico di *Mondovi* & *Dertona*.

11. Madrepora hemisphærica, stellâ planâ, radiis tuberculosis striata. Ex *Dertona*.

In medio convexæ faciei hujus Madreporæ prosilit tuberculum, è quo radiatim discedunt duodecim series tuberculorum. Stella componitur ex lamellis à centro ad circumferentiam productis. Duodecim majores & extantiores situi tuberculorum respondent; & quatuor, tres aut quinque minores lamellas intercipiunt.

12. Madrepora Androsaces capitulum referens, extùs per poros reticulata.

Hoc Madreporæ nomen tribuo corpusculis quibusdam in colle jam laudato Taurinensi multùm obviis, quibus facies convexa est, poris vel

cellulis minimis, iisque communicantibus undique cribrata; concava verò sulcos tenuissimos à centro ad peripheriam radiatos exhibet. Circularis, & aliquatenùs dentatus est ambitus hujus fossilis; cujus diameter à lineâ unâ ad tres Parisienses, crassities vix semissem lineæ æquat. Suntne ad hanc madreporam referendæ *Patellæ minutæ Weissensteinenses, subflavæ, favi ad instar apum perforatæ? Scheuchz. Mus. Dil. p.* 50.

13. Madrepora, quæ fungus Nih minor Auctorum. Ex *Sciolze*.

14. Corallo-fungites formâ tuberosâ, tubera lapidea. *Walleri Mineral. tom. II. p.* 46. Ex vico di *Mondovi*.

15. Retepora conchiliis diversis inhærens. Ex locis *Chiaravalle*, *valle d'Andona*, *Belvedere* & *Arrignano*.

Echinites.

1. Echinites, seu potius ectypus echinospatagi, qui est *echinus cordiformis similis*; *petalis* verò *glacilioribus*, sed magis *profundè sulcatis*



notatus, & ad *anguſtiorem partem elatus, vulgatiſſimus, albidus. Gualt. Ind. Tab.* 109.

Terra echinum referens eſt bolus quidam flaveſcentis coloris: collectus verò eſt in viciniis Montis-Regalis ab amico ſuaviſſimo Georgio Bonelli, Medico eximio, Botanices & naturalis Hiſtoriæ amantiſſimo, qui unà cum pluribus aliis rarioribus ejus loci conchiliis & echinum hunc humaniſſimè miſit.

2. Echinites, ſeu potiùs ectypus echini ab Anguſtino Scilla exhibiti. *Tab.* x1. *fig.* 1. valdè compreſſus eſt, verè cordatus, cum hilo exciſo; quatuor inſtruitur radiis, quos efformant binæ ſeries punctorum, cum intermediâ aliquandò lineâ. Radiorum interſtitia occupantur à papillis annulatis variæ magnitudinis. Non adeſt imago hujus echinitis; ideòque poſitionem ani ſtatuere non licet: puto ad ſummitatem echini extitiſſe.

Ex viciniis loci *Pino*, aliquot milliaribus ab *Auguſtâ-Taurinorum*, in argillâ quâdam albâ extrahitur.

3. Echinus, qui *lapis Indicæ cucurbitæ*

similis Mercati. *Metall. Vat. p. 234.* Echinus planus. *Panehoch. Rumph. p. 36.* Ex *Sciolze*, colle quodam di *Fagnor* dicto, & ex viciniis *Augustæ-Taurinorum* eruitur hic echinus, qui non echini ectypus, sed echinus ipse est cum testâ suâ servatus, & sicuti Etruscus à Mercato descriptus (1): *materiam etiam habet, quæ enitescit instar lapidis Judaici, & colore pallido est.* Noster in varia fragmenta divisus; nec ejus integrum exemplar è terrâ educere licuit.

4. Echini Kleinii. *Tab. 1. B. C. D.* (2). In collibus Dertonensibus reperiuntur testâ lapidefactâ Echini depicti litterâ D. Specimen cum testâ suâ integerrimâ eduxi ex valle d'Andona, è terrâ quâdam sabulosâ minutissimis conchilus refertissimâ.

Echini fossiles, & echinorum ectypi, rari sunt in nostratibus collibus; & ratio satis patet: echinorum enim tenera substantia difficilè servari potest; nec materia interim

(1) L. C
(2) Nat. Disp. Echin.

eorumdem ectypis formandis frequens est iis locis, ubi conchilia reperiuntur.

Echinorum capillares aciculas adhuc rubentes pluries extraxi ab arenâ conchiliferâ vallis *d'Andona.*

Balanites.

Inter rariora fossilia habiti sunt ab Auctoribus balani fossiles. Clarissimus d'Argenville omnium conchiliorum fossilium rarissimum esse balanitem innuit, & unius fossilis imaginem ex Bajero mutuatam adducit. Primus quidem omnium fossilis hujus meminit, & iconem exhibuit Cl. Bajerus, unicum ejus exemplar in agro Norimbergensi à se collectum orbi litterario communicans. Verumtamen non ita rari balanitæ in præsentiarum sunt, cùm Cl. virorum diligentiâ & operâ detecta plura loca sint, quæ uberiùs eosdem continent. Nuperrimis observationibus docti viri Jacobi d'Annone (1) de-

(1) Acta Helvetica Mathematico - anatomico-botanico-medica Basileæ *Vol. II. 1755. Vide p. 242.* de balanis fossilibus agri Basileensis.

tecti sunt balani fossiles Basileenses; doctâque dissertatione eosdem non modò diligentissimè describit, sed unà affert quidquid ad balanorum historiam illustrandam inservire potest. Præter autem Basileensem agrum, nunc etiam constat, Pisanos & Senenses colles balanitas exhibere ex Cl. virorum Targioni Tozzetti (1) & Baldassarri (2) observationibus. Bononienses (3) etiam & Veronenses colles Balanitas habent, quorum exemplaria in Musæo meo possideo, quæ debeo generositati Clariss. amicorum Ferdinandi Bassii, & Johannis-Francisci Seguieri, qui cùm singulari benevolentiâ me prosequantur, fossilium, quæ in his collibus collegerunt, insignibus collectionibus Musæum meum ditarunt.

Verùm nullibi copiosiùs, quàm in collibus nostris balani fossiles reperiuntur; cùm minimè desint iis penè om-

(1) *Tom. I. p. 141.*
(2) Osservaz. *pag. 6.*
(3) In monte Blancano inter strata terræ arenosque lutescentis, præter pectunculos, chamas, aliaque conchilia, balani etiam cernuntur, teste Josepho Monti, Diss. de Monumento, *p. 41.*

nibus locis, quæ corpora marina fossilia continent.

Eorum plures species & varietates observare licet, pro magnitudinis & occupati corporis diversitate. In meo Musæo ostendere possum balanitas, à vix visibili magnitudine ad eam amplitudinem, quam duorum pollicum Parisiensium latitudo non metiatur, & pluribus diversis conchilis adhærentes, ostreitis, pectinitis, chamitis, purpuritis, strombitis, aliisque multarum specierum. Frequentiùs insident ostreitis & pectinitis. Quod ad conservationem spectat, plures habeo, qui rubellum aut nigrum nativum suum colorem adhuc præ se ferunt. Verùm non hîc solùm rubello colore insigniti balani eruuntur; similiter servatos habent etiam Pisani colles, quemadmodum testatur Targionus Tozzettus (1); & Bononienses à præclarissimo viro & charissimo amico Ferdinando Bassio ad me missos, pulchrè etiam adhuc rubere animadverti.

Balani fossiles pro diversâ ætate plu-

(1) L. C.

timùm variant. Juniores, ex Gr. quatuor sæpe valvis solummodò componuntur; eæque cùm lævissimæ in junioribus fuerint, striatæ in grandioribus evadunt: valvæ etiam nunc magis, nunc minùs ad invicem accedunt, os hoc pacto diversâ ratione coarctantes. Corporis insuper, cui inhæret balanus, facies aut plana, aut arcuata, facit, ut crescens balanus diversam etiam figuram adipiscatur. His omnibus causis fit, ut balanorum fossilium species difficilè definiri possint; potissimæ Balanitarum nostrorum sunt sequentes.

1. Balanus ore angustiore, striatus, parvus, seu minor. *D'Argenv. Conch. p. 354. T. 30. fig. D.*
   Lepas testâ conicâ truncatâ, operculo obtuso. *Linn. Faun. Suec. n. 1348.*
   Balani Basileenses. Vide *Annone, L. C.*
2. Balani his similes, ex cinereo & obscuro variegati.
3. Balani læves, cinerei, aut albicantes, testâ longè tenuiori.
4. Balanus major, Tulipæ vel Tin-

tinnabuli-formis. *Rumphii Thes. Tab.* XLI. *A.*

5. Balanus ore ampliore, major, latus. *D'Argenv. Conch. p.* 354. *T.* 30. *fig. A.*
6. Lepas testâ conicâ sulcatâ, operculo acuminato. *Linn. Faun. Suec. n.* 1349.

Balani n°. 1°. omnium uberrimè reperiuntur: iisdem locis balani n°. 2°. & inter utrosque iisdem locis aliquandò balani n°. 4°. qui copiosiùs quàm ullo alio loco in collibus loci *Arrignani* reperiuntur. Balanos n°. 3°. aliquot collegi in valle *d'Andona*, & nonnullos etiam habui ex *Chiaravalle*. Balanos qui recensentur numeris 2 & 5, nemo, quod sciam, adhuc reperit fossiles; inventi tantummodò sunt species 1 & 2. Postremi raro aliis in regionibus occurrerunt. Hujus speciei exemplaria tria habuit in suo Musæo Johannes-Jacobus Scheuchzerus (1). In agro Bononiensi duo reperta esse hujus balani speciei, mihi significavit

(1) *Vide* Mus. Dil. *p.* 51. *n.* 325. 329. 329. *A* & d'Annone, *l. c.* § 5.

amicissimus

amicissimus Bassius: eorum unus ornat Musæum celeb. Josephi Montii, alter verò Musæum præclar. Johannis Planci Ariminensis. Veronenses balani, ut me per litteras certiorem fecit Johannes-Franciscus Seguierius, qui naturalem Historiam agri Veronensis intimè scrutatus est, plerumque parvi sunt, & Bononiensibus ac Pisanis multò minores.

Cæteras itaque regiones, quod ad balanitas spectat, antecedit Pedemontium, cùm in eo præter Balanos alibi invisos, Balani majores Auctorum frequenter occurrant. Balanos enim, ut suprà adnotavi, plures teneo, quorum diameter ad basim æquat pollices duos Parisienses. Unum omnium maximum inter rariora asservo, cujus altitudo perpendicularis est duorum pollicum cum lineâ. Valvarum crassities in hoc est ultra lineam.

In simili Balanite, externo cortice denudato, licuit pulcherrimè introspicere valvarum structuram. Balani ex senis valvis componuntur: in junioribus quatuor tantummodò aliquandò sunt, quorum quatuor præ-

cipuæ sunt; duæ minores sunt veluti accessoriæ. Singulæ hæ valvæ formantur ex lamellis juxta se positis, quæ lamellæ minorum aliarum fasciculi sunt. Fasciculi & lamellæ magis magisque semper accedunt ad invicem, & conjunguntur; ut quò magis ad valvæ finem approximant, eorum visibilis numerus imminuatur. In illo specimine, in quo hæc adnotavi, ducentas lamellas numeravi. Balanorum structuram & compositionem ulterius non prosequor, cùm diligentissimè exarata fuerit à præclar. Domino de Annone.

PHOLADITES.

Inter corpora marina fossilia ita rarò occurrit Pholadites, ut præclar. viri apertè asseruerint, memoratum Conchilium nondum prostare fossile. Dominus d'Argenville inquit (1): *Non occurrunt fossilia trium ultimarum familiarum, scilicet Pollicipedum, Concharum Anatiferarum, & Pholadum.*

(1) Conchil. p. 388.

Eamdem fententiam protulit Vallerius (1), neque ab horum opinione recedit Johannes Gefnerus (2).

Pedemontium interim naturalis Historiæ amatoribus Pholades foffiles exhibet, eorumdemque plura fpecimina in Mufæo meo afferva. Non propterea tamen mihi inventoris Pholaditarum gloria debetur, fed præclar. viro Jofepho Montio, Botanices & naturalis Hiftoriæ in Bononienfi Academiâ Profeffori celeberrimo. Primus ipfe Pholades foffiles collegit in agro Bononienfi, & litterariæ Reipublicæ anno 1746 in Commentariis inftituti fcientiarum Bononiæ communicavit (3) doctâ Differtatione, quâ plures hâc fuper re obfervationes continentur. Inter plura verò, quæ adnotavit, illud nunc liceat commemorare, Pholades illos foffiles cum nullis adhuc cognitis convenire; effe novum planè conchilii genus; iis aliis exoticis addendum conchiliis in montibus relictis, quorum fimilia marina nondum conftant.

(1) *Mineral. Tom. II p. 102.*
(2) P. 22.
(3) *Tom. II. p. alt. pag. 32.*

Quod verò Josepho Montio in suorum Pholadum examine contigit, ut nullam illorum notitiam ex Auctoribus colligeret, idem & mihi accidit, qui licèt diligenter inquisiverim, reperi cum nullâ notâ specie, neque etiam cum Bononiensibus, nostros Pholades fossiles convenire.

Pholadum, ut omnes sciunt, ea natura est ipsis tradita, ut aut in saxo, aut in conchiliorum testis inhabitent, similive aliâ re. Nostri ex illis sunt, qui crassorum conchiliorum testas inhabitant, neque alibi reperti sunt, quàm in crassis conchiliis, uti ex Gr. in conchitis nostris descriptis numeris 1, 4, 7, in Ostreo insigni fossili, &c. Cavitas, quæ ab hoc conchilio efformatur, formæ conchilii respondens, oblongo-ovalis est; apertura amplissimâ, etiam ovali, juxta eam conchilio per suam longitudinem posito, & patente. Summa Pholadis longitudo est trium linearum Parisiensium, latitudo trium, aut trium cum dimidiâ. Testa tenuissima est, & ferè transparens, quæ ex albo-splendenti, superstite colore, videtur unionum instar fulsisse.

Horum Pholadum foramina in nostris Ostreis, aliisque crassis conchiliis, sæpissimè deprehenduntur; rarò tamen invenitur superstes in iis Pholadum conchilium.

Sola vallis d'Andona ea mihi suppeditavit conchilia, quæ Pholades fossiles exhiberent, dùm de cætero pluribus aliis locis foraminibus pertusa conchilia adinveniantur.

Pholadum nostrorum memorata foramina non infrequenter superiùs innui adesse in Ostreo insigni fossili: hæc verò foramina jampridem notata sunt in simili Ostreo Bononiensi à Clar. Montio, qui etiam tunc temporis suspicatus est, Pholadum opus illa foramina esse. Invento nunc temporis Pholade nostro, liquet, non solùm pro re certissimâ habere, à Pholadibus ea efformari, verùm etiam suspicari, corpora illa pyriformia in iis foraminibus inventa, quæ ab aliquibus pro Margaritarum concretionibus obtrudebantur Cl. Montio, nihil aliud esse, nisi Pholades nostros induratam margam continentes. Etenim Pholadum nostrorum color ex albo splendet; eorumdemque

externa facies lineis quibusdam arcuatis, veluti essent strata superincumbentia, signatur: quâ ratione externam corporum pyriformium faciem sese habere, Cl. Montius animadvertit.

PATELLITES.

1. Patella vertice intorto, basi irregulari, inæqualiter striata, fulcata, & veluti lamellis composita, ex albido cinerea, in cujus cavitate canaliculus bicornis perpendiculariter adnascitur, candidus & fragilis, cujus usus mihi ignotus est. *Gualt. Tab. 9.* Ex oppido *Lucello.*
2. Patella vertice perforato, oblonga, striata, nonnullis aliis lineis in gyrum gradatim dispositis circumdata, basi intùs dentatâ, subalbida. *Gualt. Tab. 9. N.*

Ex loco *la Piovata* & valle *d'Andona.* Ex arenâ conchiliferâ, quâ oppletur ostreum maximum ad cardinem eleganter fulcatum, aliquandò separavi hanc patellam, omninò præter colorem integerrimam.
3. Lepas, mitella Sinensis. *D'Argenv.*

Conch. Tab. B. J. Ex valle *d'Andona, Incisa, Montaldo.*

4. Patella limbo integro, striis radiata, altero latere productiore, lineis obscuris in dorso circumdata. *Gualt. Tab. 8. F.*

Ex *Augustâ-Taurinorum.*

CONCHILITES.

1. Concha crassa, ponderosa, hirsuta, & sericeo villoso indumento fuliginosi coloris vestita. *Gualt. Tab. 13. A.*

Ubique ferè adinveniuntur; maxima hujus conchilii exemplaria educuntur ex valle *d'Andona* & *Augustæ-Taurinorum* vicinis.

2. Concha valvis æqualibus, inæquilatera, notabiliter umbonata, & rectâ incurvata, subrotunda, vulgaris, striis minutissimis signata, ex albido & cæruleo fasciata. *Gualt. Tab. 82. D.*

Ex *Chiaravalle, valle d'Andona*, & ex *Sciolze*.

3. Concha valvis æqualibus, inæquilatera, notabiliter umbonata, &

rectà incurvata, subrotunda, vulgaris, crassa, subalbida, striis & apice nigris notata. *Gualter. Tab. 82. C.*

Ibidem; cum primi adhuc coloris indicus.

4. Bucardium cordiforme, triangulare. *D'Argenv. Conch. Tab. 26. D.*

Ex *valle d'Andona* & ex *Chiavalle*, cum nativo etiam servato colore.

5. Concha Bonanni. *Muf. Cl. 11. n. 90.*

Ibidem.

6. Concha marina, valvis æqualibus notabiliter umbonata, & obliquè incurvata, subrotunda, vulgaris, striis circularibus, profundis, elatis, bullatis exasperata & circumdata, crassa, subalbida. *Gualt. Tab. 75. N.*

Nullibi deest; sed abundè reperitur in collibus locorum *Arrignano, Sciolze* & *Monbello.*

7. Concha marina, valvis æqualibus, æquilatera, mediocriter vel leviter umbonata, & obliquè incurvata, subrotunda, striis profundis, transversis, umbonem versus decrescen-

tibus, elegantissimè undique cincta, albida. *Gualt. Ind. Tab. 76. F.*

Ex *valle d'Andona* & *Montaldo.*

8. Chama inæquilatera, lævis, subalbida, crassa. *Gualt. Tab. 85. B.*

Ex *valle d'Andona.*

9. Concha imbricata, altero latere magis producto, imbricibus depressis, acutis & frequentibus exasperata, & striata, subfusca. *Gualt. Ind. Tab. 97. C.*

Eodem ex loco.

10. Concha valvis æqualibus, inæquilatera, notabiliter umbonata, & rectè incurvata, subrotunda, vulgaris, gradatim striata, ex albido & fusco fasciatim colorata. *Gualt. Tab. 82. C.*

Ex *Chiaravalle*, cum superstite etiam nativo colore.

11. Chama inæquilatera, striis minutissimis circumdata, subalbida, lineis luteis serpentibus, & angulos acutos efformantibus, diversimodè signata. *Gualt. Tab. 86. F.*

Ex *valle d'Andona* & *Chiaravalle.*

12. Concha lactea, vulgò *Pisciotta: Planca, de Conch. p. 31.*
Ex *valle d'Andona.*

PECTINITES & PECTUNCULITES.

1. Pecten tenuis, striis crassis, latis, rotundis & raris distinctus, totus candidus. *Gualt. Tab. 74.*
Ex *Arrignano.*
2. Pecten tenuis, striatus, striis imbricatis & muricatis ex roseo & albido variegatus. *Gualt. Tab. 74. H.*
Ibidem, & ex *valle d'Andona.*
3. Pectunculus striatus, altero latere leviter granulato, ex flavedine albicans. *Gualt. Tab. 74. F.*
Ex *Arrignano.*
4. Pecten tenuis admodùm complanatus sive compressus, fragilis, pellucidus, striatus, striis in dorso veluti lineis à cardine ad circumferentiam diffusis; internè verò striis rarioribus æquè distantibus, in plano æquali æqualiter eminentibus. *Gualt. Tab. 73. B.*
Ex *valle d'Andona* copiosissimè.
Frequentiùs reperitur valvâ pla-

nâ, convexâ, cùm fragilior fit, destructâ. Inter strata mollis Cretæ & Tophi sæpiùs integer occurrit.

5. Pectunculus, striis imbricatis & muricatis, ex rufo & subalbido variegatus. *Gualt. Ind. 74. M.*

Ex locis *Biale*, *Arrignano*, *valle d'Andona* & *Castelnuovo*.

6. Pecten tenuis, striatus, striis imbricatis & muricatis, ex roseo & albido variegatus. *Gualt. Ind. Tab. 74. H.*

Ex *Arrignano*.

7. Concha pectinata major, in parte planâ striis eminentibus asperis, in parte verò convexâ striis striatis insigniter notata, nonnullisque lineis fasciata, ex albido rufescens. *Gualt. Tab. 98. A.*

Ex *Arrignono* & *valle d'Andona*, ex quo loco in Musæum intuli specimen, cujus latitudo pollices Parisienses octo, longitudo septem æquat. In hoc deprehendere etiam licet primigenium rufescentem colorem.

8. Pectunculus striis acutis, muricibus exasperatis, croceus. *Gualt. Tab. 74. B.*

Ex *valle d'Andona.*

9. Pecten tenuis minor, striis rotundis & crassis, ex fusco purpurascens, punctis candidis & piceis aliquandò aspersus. *Gualt. Tab. 73. O.*
Ex *Augustâ-Taurinorum, Arrignano* & *valle d'Andona.*

10. Pecten tenuis, striis striatis signatus, ex albido, & roseo colore nebulatus. *Gualt. Tab. 73. F.*
Ex *Arrignano* & *valle d'Andona.*

11. Pecten tenuis mediocriter crassus, striatus, striis plurimis minutisque incisuris signatus, croceus. *Gualt. Tab. 73. D.*
Ex *Sciolze* & *Arrignano.*

12. Pecten Bonanni. *Cl. II. n. 7.*
Ex *valle d'Andona.*

13. Pectunculus parvus minutissimè striatus, ruber. *Gualt. Tab. 74. A.*
Ex *colle Taurinorum.*

TEREBRATULÆ.

Terebratula, quæ Concha rarior anomia, vertice rostrato. *Col. de Purp. pag. 22.*

Conchiglie dette dal Colonna Anomie. *Scilla, Tab. 14.*

In collibus *Arrignani*, locis dictis *Pourner* & *Col di Cerania*, copiosè colligi possunt Terebratulæ. Sabulosâ flavâ terrâ plenæ sunt, & testam habent optimè servatam, quæ tenuis est, & diffracta in lamellas scinditur ex albo splendentes. Lacunæ Conchilii nunc magis, nunc minùs profundæ sunt. Alibi etiam similes Terebratulæ leguntur; uti in *valle d'Andona*, in collibus *di Monsaldo, di Vicco, di Mondovi*, & in *Dertonæ* viciniis. Terebratulæ *Dertonenses* potiùs sunt Ectypi, aut moduli Terebratularum, testâ Conchilii destructâ. Aliorum locorum Terebratulæ, sicuti Terebratulæ Arrignani, integræ sunt; eas autem ex Cretæ stratis eduxi, rarissimæque sunt.

MUSCULITES.

1. Musculus rugis transversis inæqualibus signatus, ex fulvo & albido infectus. *Gualt. Tab. 90. A.*
   Ex *valle d'Andona.*

2. Concha longa, à Rondeletio dicta Bonanni. *Muf. Cl. II. n. 76.*
Ex *Chiaravalle.*

3. Concha rhomboidalis elongata, ſtriata, ſtriis inſigniter craſſis, raris & ſubrotundis. *Gualt. Tab. 87. O.*
Ex *Dertona* & *Chiaravalle.*

4. Tellina piloſa, ex mare Mediterraneo. *D'Argenv. Conchil. Tab. 25. M.*
Ex *valle d'Andona.*

PINNITES.

Duas Pinnarum foſſilium ſpecies Muſæum meum exhibet: unam ſeu Dertonenſis ager, ſeu colles *di Montaldo* dederunt; altera copioſe ſatis erui poteſt non longè à loco *Quarto*, ſecus viam quæ ab urbe Aſtarum ducit Alexandriam: abundè etiam reperitur in *valle d'Andona*. Pulchrè in iis nitet ſuperſtes perlaceus color; nihilotamen minùs intereà earum externâ deſtructâ ſuperficie, non licet affirmare, quænam ſint ſimilia marina, quibus noſtræ foſſiles pinnæ reſpondent.

OSTREÏTES.

1. Ostreum structurâ peculiari, magis depressum, subrotundum, tuberculosum, porosum, peripheria minutissimis plicaturis elegantissimè circumscriptâ, albidum. *Gualt. Tab. 104. G.*
Ex viciniis *Taurinorum.*
2. Ostreum vulgare, maximum, utrinque imbricatum, squamis reflexis, ex alterâ parte planum, ex alterâ convexum.
Ex *Arrignano.*
3. Ostreum imbricatum, squamis non reflexis, valvâ unâ multùm convexâ, alterâ concavâ.
Ex *Chiaravalle.*
4. Ostreum, seu Spondilus complanatus, aculeis satis longis & canaliculatis insigniter muricatus, umbone satis producto, ex subalbido flavus. *Gualt. Ind. Tab. 101. A. Fig. ext.*
Ex *valle d'Andona.*
5. Ostreum, seu Spondilus, margine interno dentato. *Gualt. Tab. 99. F.*

Eodem ex loco.

6. Ostreum structurâ peculiari, lamellatum, echinatum, aculeis inæqualibus, canaliculatis, satis elongatis, crispatis & cucullatis, cinereum, intùs candidum. *Gualt. Tab.* 103.

Ex *Arrignano.*

7. Ostreum structurâ peculiari, magis depressum, plicatum, lamellatum, tuberculosum, pullo colore nigricans. *Gualt. Tab.* 104. *D.*

Ex *valle d'Andona.*

8. Ostreum structurâ peculiari, striatum, lamellatum, imbricatum, diversimodè sinuosum, ex fusco cinereum.

Ibidem.

9. Ostreum vulgare, squamosum, sulcatum, atro-fuscum, vel terreo colore luridum. *Gualt. Tab.* 102. *A. Ubique*, & sæpe cum notis nativi coloris.

10. Ostreum vulgare striatum, striis rotundis, crassioribus, interruptis radiatum, squamosum, ex fusco viridescens. *Gualt. Tab.* 102. *B.* Ubique multiplicis magnitudinis. Specimen in meum Musæum ex *valle d'Andona*

d'Andona delatum eſt, cujus una valva abſque nucleo, neque in lapidem verſa, ponderat libras noſtrates quindecim.

11. Oſtreum, ſeu ſpondilus oblongus, rugoſus, aculeis longis, craſſis & validis muricatus, umbone magis producto, & veluti pediculo donato, ex ſubalbido cinereus. *Gualt. Tab. 101. B.*

Ex *valle d'Andona.*

12. Oſtreum, ſeu Concha Gryphoïdes, globoſa, ſtriis ſquamoſis exaſperata. *Gualt. Tab. 101. F. C.* Omnibus ferè locis, in quibus petrificata reperiuntur, uberrimè adinvenitur.

13. Oſtreum auritum flammis rubris inſignitur. *D'Argenv. p. 314. Tab. 23. G.*

Ex *valle d'Andona*, cum rubri coloris notis ſuperſtitibus.

14. Oſtreum. *D'Argenv. Conch. Tab. 23. I.*

Ex *valle d'Andona.*

15. Concha ſubrotunda, unâ valvâ perforatâ, cujus multiplices ſunt varietates. *Gualt. Tab. 97. B.*

Ex *Arriguano.*

16. Conchites lævis Mercati. *Met. Vat. p. 290. F. 3. ext.*

Griphites lævis Auctorum.

Ex *Sciolze*, *Pecetto*, vicinis *Taurinorum*, *Monte-Basilio Mon-Regaliensium*, *Dertona*, *Arrignano*, *Morriond*, *Moncalvo*, *le Mollare in Monte-Ferrato.*

In argillæ, cretæ & lithantracis stratis sæpe adsunt Griphitæ, rari alibi.

Griphitas inter Ostreitas recensuimus, cùm formâ suâ Ostreis satis assimilentur. Postremò superest enunciandum nostrum Ostreum quoddam rarissimum, in Bononiensi agro solùm usquedum observatum.

17. Ostreum fossile, internè ad basim eleganter sulcatum. *D. Montii Comm. Bon. T. II. p. alt. pag. 342. lin. 11.*

Ostreum fossile, magnitudine & figurâ insigne *Cj. L. C. pag. 339.*

Ostreum rarissimum Polyleptoginglymon, ex monte vulgò *del Sapo* Agri Bononiensis. *Scheuchz. Muf. Dil. pag. 85.*

Conchitæ polyginglymi margaritacei, ex montibus Bononienfibus, & Concha polyginglyma margaritacea, ex Monte-Ferrato. *Zannicch. Appar. p. 27.*

Argyroconchites. *Allr. Muf. metall. p. 87.*

Inter corpora foffilia Bononienfis agri, quæ doctè & eruditè illuftravit vir celeberrimus Jofephus Montius, poftremum certè locum non habet Oftreum hoc, cujus integra hiftoria in Commentariis Bononienfibus extat, unà cum variis aliis obfervationibus ad telluris theoriam fpectantibus. Aldrovandus quidem, Scheuchzerus & Zannicchellius ante Cl. Montium utique Oftrei hujus meminerunt, fed nihil præter nomen tradentes, ut idcircò ejufdem defcriptionem Jofephi Montii diligentiæ debeamus.

Infigne hoc Oftreum, quod Bononienfi monti vulgò *del Sapo* proprium videbatur, cùm nullo alio loco adhuc occurreret, noftratibus etiam in collibus detexi anno 1751, cùm herbarum & foffilium colligendorum causâ

Ascensem provinciam peragrarem. Eo itinere in vallem quamdam *d'Andona* dictam marinis his reliquiis refertissimam veni; & in eâ mihi sese obtulit Ostreum hoc, cujus tanta vis est, ut eo plenissima strata ad plura milliaria longè latèque sese extendant.

Perculsit statim animum Ostrei, cui simile nondum videram, copiosè sepulti aspectus; novumque planè Conchilii genus mihi videbatur. Domum itaque reduci nihil magis erat in votis, quàm apud naturalis Historiæ Auctores quærere & investigare, num aliquis de simili, aut marino, aut fossili corpore meminisset. Inter reliquos Auctores, quos mihi esse consulendos duxi, menti meæ sese obtulere Commentarii Bononienses, maximâque sui voluptate perfusus, quandò incidi in memoratam J. Montii Dissertationem, quâ graphicè descriptum nostrum Ostreum detegere licuit. Ut interim nullus dubitationi locus relinqueretur, noviter detectum meum Ostreum ad amicum dilectissimum Ferdinandum Bassium misi, ut illud cum Bononiensi compararet: factâ verò compa-

ratione, certiorem me fecit, omninò idem cum Bononiensi esse; & ut rei veritatem ipsemet oculis inspicere possem, Ostrei exemplar humanissimè largitus est.

Non est ovum ovo similius; eademque est in utrisque conservationis ratio. Cùm itaque Bononiense ita fuerit accuratè descriptum, ut ea singula, quæ ad hujus fossilis historiam tradendam pertinent, contineantur, non alia habemus addenda, quàm observata aliquot, quibus observationes Cl. Montii confirmentur.

Ostreum hoc totum componitur ex laminis unionum colore splendentibus, quarum ea conditio est, ut interiores omnium longissimæ sint, exteriores verò, prout magis externæ fiunt, continuò deficiant. Externa ideò facies Conchilii ex laminis imbricatim positis composita esse videtur. Inde fit, ut extrema Conchilii pars tenuissima sit; ideòque eâ parte penè semper abruptum invenitur hoc Ostreum, aut licet integrum invenias, minimâ vi rumpatur. Cardo hujus Ostrei planus est, & ostendit parallelos æquales

rectos sulcos, cum intermediis profundioribus canaliculis. Scheuchzerus & Zannichellius polyginglymum & polyleptoginglymon, ex hac cardinis structurâ dixerunt. Eorum tamen sulcorum is non est usus, perinde ac si sese mutuò excipientes, utramque valvam clauderent; sed traducendis ligamentis ad has valvas connectendas necessariis verisimiliter inserviunt. Hanc quidem observationem non prætermisit D. Montius, qui etiam meminit, internâ Ostrei facie cæca adesse foramina. In singulis, quæ consideravi, hujus Ostrei speciminibus, hæc cæca foramina ego etiam observavi. Tria plerumque, aliquandò quatuor sunt, & in utràque valvâ insculpta. Eorum sinus licèt constanter ad cardinem fulcatus sit, non tamen in singulis similiter respondet. His foraminibus laminæ non perforantur, sed sinus insculpitur, qui in omnibus laminis visibilis est: idcircò puto ea esse constructa, non tantùm ad animal valvis suis nectendum, sed etiam ad laminarum inter se connexionem.

Corpora pyriformia à Josepho Mon-

tio obſervata minimè deficiunt in Pedemontio; ſed de his ſermo habebitur, cùm de his pholaditis agetur.

Quod tandem attinet ad vires medicas hujus Oſtrei, obſervationes plures habeo, quibus mihi conſtitit, abſorbentem teſtaceorum vim longè magis in hoc, quàm in ullo alio excellere; hoc verò argumentum diffusè cumulatèque in Oſtreo Bononienſi Joſephus Montius pertractavit.

TUBULITES.

Inter corpora marina terræ inſepulta, nulla ferè ſunt, quæ Tubulit s uberiùs diſperſa ſint. Ea, quæ *Dentalium* nomine veniunt, nuſlibi deſiderantur: non ita copioſè occurrunt reliqui marini Tubuli, licèt neque rari ſint. Tubulitarum omnis generis tanta eſt copia inter *Annone* & *Ouarto*, ut ibi ex Tubulitis terrâ quâdam arenariâ & tophaceâ luteſcente coaluiſſe ferè videantur. Multiplex eſt in Tubulitis, potiſſimùm in intortis, magnitudinis, ſuperficiei & inflexionis varietas; eaque vix permittit certos

differentiarum limites ſtatuere: ea præcipua, quæ collegi & adnotavi, diſcrimina.

1. Tubulus marinus, regulariter intortus, ſtriatus, ſtriis raris, majuſculis, ſulcatis, viridis, nonnulliſque faſciis viridioribus cinctus. *Gualt. Ind. Tab. 10. I.*

   Ex *Arrignano*, *Sciolze*, *Monbello*, *Caſtelnuovo*, *Calcea*, *valle d'Andona*; & ibi ubique frequens.

2. Tubulus marinus regulariter intortus, parùm aut nihil incurvatus, ſtriatus, ſtriis ipſis duplicibus & nonnullis lineis cinctus, ex albido ſubviridis. *Gualterius, Ind. Tab. 10. F. C.*

   Ex *Dertona*.

3. Tubulus marinus, ſeu Dentalis, ſubtiliſſimè ſtriatus. *Mont. Comment. Bonon. T. II. part. alt. pag. 295. F. B.*

4. Tubulus marinus regulariter intortus, arcuatim incurvatus, & verſus unam extremitatem acuminatus, *Dentalis* dictus, lævis, candidus. *Gualt. Ind. T. 10. C.*

   Ex *Sciolze*, *Valfenera*, *la Piovata*.

5. Tubulus marinus vermicularis, concameratus, striatus, crassus, albidus. *Gualt. Ind. Tab. 10. N.*

Ex *Annone*, *Incisa*, *Belvedere*, *Montaldo*, *Maranzana* & *valle d'Andona*.

6. Tubulus marinus vermicularis, concameratus, striatus, notulis nigris punctuatus, lucidus, albidus. *Gualt. Ind. T. 10. Z.*

Ex *Annone*, *valle d'Andona*, *Chiaravalle*, & *Dertonensibus collibus*.

7. Tubulus marinus irregulariter intortus, vermicularis, leviter striatus, & in turbinem obtusiorem desinens, subalbidus. *Gualt. Ind. Tab. 10. V.*

Iisdem ex locis.

8. Tubuli marini irregulariter intorti, vermiculares, in congeriem simul uniti. *Gualt. Ind. Tab. 10. F.*

Ex *Annone*, *valle d'Andona*, *Sciolze* & *Chiaravalle*.

His alios addo, de quibus nil certi videre apud Auctores licuit; iique sunt:

9. Tubuli marini cylindrici, solitarii,

rotundi, striis circularibus leviſſimis præditi, minimè intorti.

Ex locis *Sciolze*, *Piovata*, *Dertona*, *Chiaravalle*, *Arrignano*, *Monbello* & *Augustâ-Taurinorum.*

10. Tubuli cylindrici læviſſimi, rectâ ferè extenſi, aut ſolitarii, aut cum adnatis Tubulis n°. 8. recenſitis.

Ex *Sciolze*, *Annone*, *Dertona.*

11. Tubuli marini non concamerati, digitalis craſſitei, maximè rugoſi & ſtriati, vix intorti.

Ex *Incisa* & *Montaldo.*

Belemnites.

Belemnitarum veſtigia obſervavi in marmore quodam lapide Suillo, prope *le Sambucceo* reperiunda Ammonitis pleniſſimo; ſunt verò hi Belemnitæ cylindri apice conico, alveolo donati, cui paralleli inſiſtunt radii penè perpendiculares: eorum craſſities anſerinam plumam non videtur ſuperare. Non alibi, quod ſciam, apud nos Belemnitæ occurrunt; & mirum ſanè, in tantâ Conchiliorum benè ſervatorum copiâ, quâ colles noſtri ſcatent,

neque unum Belemnitem reperiri potuisse.

Diu disputarunt Philosophi de Belemnitarum origine; donec rationibus pluribus celeberrimi viri, Joh. Philippus Breynius (1) & Theodorus Kleinius (2) comprobarunt, ad testacea esse referenda: quorum opinionem etiam amplexus est celeberrimus Linnæus (3). Nemo tamen horum nativum marinum Belemnum vidit, uti contigit observare Targionio Tozzetti (4). Refert nimirùm, se in Musæo Canonici Vincentii Capponii observasse corpus quoddam marinum, cuidam marrici Corallorum rubrorum inhærens, omninò Belemnitarum figurâ. Longitudo hujus corporis erat paulò ultra dimidium pollicem Parisiensem; diameter ad ejus os duas lineas circiter æquabat. Structura intima multis thalamis comprehendeba-

(1) De Belemnitis Prussicis Commentatiuncula. Diss de Polythalamiis subjuncta, *p* 41.

(2) Lapidum figuratorum Nomenclator, olim à celebri J. J. Scheuchzero conscriptus, postmodùm auctus & illustratus à Theod. Klein. Gedani, 1740.

(3) Systema Naturæ.

(4) *Tom. I. p.* 280.

tur, à subſtantiâ ipſiuſmet Conchilii efformaris. Teſta hujus Conchilii erat tenuiſſima & tranſparens.

Credendum eſt, Tubulum hunc Polythalamium, qui Belemniti originem dedit, Pelagium Conchilium eſſe, quod in maris à montibus receſſu ſervari non potuit propter ejus delicatiſſimam ſubſtantiam, & corporum reſidentium & ſuper incumbentium pondus.

AMMONITES.

Cornua Ammonis plura comprehendit lapis quidam Suillus, qui reperitur prope *le Sambucco* inter Alpes Vinadienſes, ferè ad radices altiſſimi montis. In ſimili lapide Suillo, prope vicum *S. Stephano*, loco dicto *los Ribos*, reperiuntur etiam ſimilia Ammonis cornua. Iis locis majora & minora diverſarum ſpecierum ſpecimina obſervare licet ſimul commixta: ſequentia detexi.

1. Cornu Ammonis ſpinatum, ſpinâ binos inter ſulcos eminente, ſtrias

simplicibus rectâ ad marginem excurrentibus, ibique paulò incrassescentibus, & ad caput lapidis reflexis. *Scheuchz. Mus. Diluv. p. 31.*

2. Cornu Ammonis læve, trium vel quatuor spirarum, quæ in eodem sunt plano. *Scheuchz. Mus. Diluv. pag. 31.*
3. Cornu Ammonis non spinatum, densè striatum, striis simplicibus dorsum trajicientibus.
4. Cornu Ammonis spinatum, quatuor aut quinque spirarum, striis rectis in margine evanescentibus. Palmi amplitudinem habet, quatuor aut quinque est circumvolutionum, striis digiti transversi mensurâ inter se distantibus.

Hæc Ammonis cornua potiùs sunt nativorum Conchiliorum ectypi, cùm reverâ Conchilii testa in iis superstes non amplius sit. Quæ verò deinde enunciabimus Ammonis cornua fossilia, ipsamet fossilia Conchilia sunt; ea tamen non in lapideâ substantiâ, sed in arenâ quâdam Astensi adinveniuntur; neque sane alibi usque nunc, quàm in arenis, quod sciam, reperta sunt

Ammonis cornua, quorum testa integra esset.

Similia quidem minima Ammonis cornua primus animadvertit in arenâ cujusdam montis prope Hildenhemium (1) Elias Camerarius; deinceps autem præcl. Beccarius in arenâ Bononiensi detexit, & de iis diffusè sapienterque disseruit (2) in Commentariis Bononiensibus. Hi præclarissimi viri utique ostenderant, minima hæc Ammonis cornua vera Conchilia esse, à mari in montibus derelicta; sed nondum comperta habebant tunc temporis analoga marina testacea, quorum inventio debetur perspicacissimo Naturæ scrutatori Jano Planco Ariminensi, qui varia Ammonis cornua monstravit in arenâ litoris maris Ariminensis (3), & ostendit eadem esse cum iis, quæ in montibus reperiuntur. Observavit enim Plancus, cornua Ammonis fossilia arenæ Bononien-

(1) *Vide* Eph. Nat. Cur. Cent. I & II. Observ. CLXXV. & Cent. VI. Obs. XXXVII.
(2) *Tom. I p. 69.*
(3) De Conchis minus notis. *A pag. 8 ad paginam 16.*

fis omninò illi respondere, quod ipse vocat *Cornu Ammonis litoris Ariminensis vulgatissimum*, & cujus specimina etiam adsunt, Cl. Auctore observante, in montibus circa Ariminum, & in terrâ arenosâ *montis Covignani*.

In hâc arenosâ terrâ *montis Covignani* adsunt etiam alia specimina alterius cornu Ammonis, quod Jano Planco dicitur (1) *Cornu Ammonis litoris Ariminensis minùs vulgare, orbiculatum, striatum, umbilico prominente, ex quo striæ & loculamenta omnia prodeunt*; & à Gualtiero (2) deinde vocatus fuit *Nautilus minimus, costâ acutissimâ marginatâ, umbilico utrinque prominente, à centro ad circumferentiam striatus, striis sinuosis, inflexis, minutissimè granulatus, & fusco-fulvido colore splendens.*

Idem etiam cornu Ammonis visum est in arenâ Siculâ à Johanne Gesnero (3); & in arenâ Pisanâ, loco *S. Gioanni della Vena* dicto, à Jano

(1) L. C. *p.* 10. *T. I. F.* 11.
(2) Ind. Test. *p.* 10. *T.* 19. *A.*
(3) Diss. *p.* 32

Planco. Arena demum montium *di Partascio* & *Casciana*, juxta præclarissimi Targioni (1) Tozzetti observationes, præter singula Ammonis cornua à Jano Planco descripta, alia etiam adhuc ignota continet; quibus observationibus ostenditur, arenas plerasque conchiliferas sæpiùs minima Ammonis cornua continere.

In nostrâ autem arenâ Astensi reperitur utrumque *cornu Ammonis*, *nempe litoris Ariminensis vulgatissimum*, & *cornu Ammonis litoris Ariminensis minùs vulgare*, *orbiculatum*, *striatum*, *umbilico prominente*, *ex quo striæ & loculamenta omnia prodeunt*. Hujus tanta est copia, ut in unciâ unâ ultra mille contineantur; & animadverti pleraque exemplaria sat benè conservata esse, ut distinctè observari possint, tùm striæ seu intersectiones, tùm interjacentia granula à Planco depicta, & à Gualtierio commemorata. Multò minori quantitate reperitur *vulgatissimum Ariminense*, quod sæpe etiam diffractum est.

(1) *Tom I p. 178 & Tom III p. 276.*

Arena

Arena hæc Ammonifera collecta à me fuit in monte quodam posito ad finem *vallis d'Andona*. Vallis hæc quisquiliis marinis fossilibus ubertime referta, ibi monticulos elevat arenosæ terræ, in quâ præter majora Conchilia, minima etiam continentur multiplicis generis; & ibi eam, quam nunc descripsi, arenosam terram adinveni.

Terras arenosas conchiliferas hujusce loci ad examen referens, ut contenta in iis corpora dignoscerem, eas diligenti curâ sum prosecutus, spe ductus reperiundorum *Orthoceratitarum*. Inveniendi spem maximam faciebat detectio plurium Conchiliorum, quæ cum *Orthoceratitis* in Ariminensi sedimento occurrunt: verùm nulla usque nunc sedulò licèt inquirenti obvia fuerunt; non tamen interea eorumdem colligendorum spes omnis abjicitur.

NAUTILITES.

Unum Nautilitem reperi in vicinìis Augustæ-Taurinorum, qui non Nau-

uli modulus, verùm Nautilus ipse fossilis est; cujus ampliores concamerationes à terrâ sabulosâ, minores à seleniticâ chrystallisatione replentur. Eo loco illum collegi, qui apud nos celebratissimus est, è conspectu montis Capucinorum, in alterâ vallis parte. Respondet Nautilus noster Nautilii descripto figurâ 252 in libro, cui titulus est : *Traité des Pétrifications. A Paris*, 1742.

Helicites, vel *Nummularius lapis*.

Nisi inter Nummularios lapides recenseantur minima quædam Ammonis cornua in arenâ Astensi à me detecta, Nummularios lapides Pedemontium nondum exhibuit. Congeries quædam petrificatorum in collibus Dertonensibus nuperrime detectæ sunt, quæ parvos nummularios lapides continere videntur, sed reverâ inter Nummularios lapides locum mereri nondum affirmo.

COCHLITES, TROCHITES & NERITITES.

1. Cochlea Bonanni, *Muf. Cl.* 3, *n.* 15.
   Ex *la Piovata* & *Sciolze.*
2. Cochlea longa, pyriformis, intorta, integra, striis elegantiffimis, veluti quodam minutiffimo opere ferico reticulata, aliquandò candidifsima, aliquandò fubfufca, & nonnullis raris maculis muftelinis fubobfcurè notata. *Gualt. Tab.* 26. *L. M.*
   Ex *Sciolze*, *Valfenera*, *la Piovata.*
3. Cochlea marina, umbilicata, cinerea, punctis obfcurè rufis afperfa, fafciis interruptis, ejufdem, fed magis intenfi coloris, circumdata. *Gualt. Tab.* 67. *Q. R.*
   Ex *valle d'Andona*, punctis rubris diftinctè notata.
4. Cochlea marina, umbilicata, lævis, vel fubrufa, vel ex albido & muftelino colore lucidè nebulata, aut depicta. *Gualt. A. B.*
   Ibidem.
5. Cochlea marina, plana, ftriata,

striis nodosis & leviter muricatis aspera, ex roseo & rubro saturo variegata & maculata, intùs argentea. *Gualt. Ind. Tab. 68. D.*

Ibidem. Argenteo unionum colore adhuc pulcherrimè splendet.

6. Cochlea Cassidiformis, umbilicata, minutissimè & densissimè striata, albida, fulvis & quadratis maculis seriatim & tessellatim circumdata. *Gualt. Tab. 39. G.*

Ex *valle d'Andona, Montaldo, Tortona* & pluribus locis.

7. Cochlea marina, terrestriformis, striata, umbilicata, viridis, nonnullis maculis piceis seriatim eleganttissimè depicta, intùs argentea. *Gualt. Tab. 64. C.*

Ex *valle d'Andona.*

Hæ sunt Cochleæ, quas potui internoscere inter plures alias, quas habeo: in reliquarum superstite facie ea non inveni pristinæ imaginis argumenta, quæ de respondente marinâ naturali specie decernerent.



BUCCINITES.

1. Buccinum, quod fusus brevis. *Rumph. Thes. Tab. XXIX. G.*
Ex *Dertona*.
2. Buccinum turris Babylonica. *D'Argenv. Conch. p. 264. T. 12. M.*
Ex *Dertona*.
3. Strombus canaliculatus, rostratus, ore simplici, striatus, in summitate cujusque spiræ papillosus, canaliculo omnium longissimo, subalbidus. *Gualterius, Ind. Tab.* 56.
Ex *la Piovata*.
4. Buccinum striatum reticulatum. *Planci p. 25.*
Ex locis *Monbello, la Piovata, Chiaravalle, Sceiran, Dertona, Arignano.*
5. Strombus integer, ore fimbriato, lævis, ex candido subroseo colore conspicuus; sed in extremitatibus aliquando ex livido albicans. *Gualter. Ind. Tab. 56. F.*
Ex *Sciolze* & *la Piovata.*
6. Buccinum majus, canaliculatum, rostratum, ore simplici, rugosum,

ex albo & fusco variegatum, punctuatum, & undatim depictum, intùs ex atro fusco infectum, ore candido. *Gualt. Tab. 46. F.*

Ex *valle d'Andona, Detona, la Piovata, Mondonio.*

7. Buccinum majus, canaliculatum, rostratum, ore labioso, crassum, striis & plicaturis, seu costulis eminentibus rugosum, elegantissimè cancellatum & exasperatum, candidum, aliquandò ex fusco lineatum. *Gualt. Tab. 48. C.*

Ex *Chiaravalle* & *valle d'Andona.*

8. Buccinum majus, canaliculatum, rostratum, ore labioso, crassum, umbilicatum, labio externo dentato, striatum, costulatum, rugosum, castaneo colore & albido infectum. *Gualt. Tab. 48. D.*

Ex *valle d'Andona* & *Montaldo.*

9. Buccinum majus, canaliculatum & sulcatum, striatum, costulis minutissimè muricatis asperum & divisum, terreo fulvido colore depictum. *Gualt. Tab. 51. G.*

Ex *valle d'Andona, Lucello, Tigliole* & *la Piovata.*

10. Buccinum majus, canaliculatum & sulcatum, striatum, costulis æqualiter divisum, minutissimè muricatum, ex albido fulvidum. *Gualt. Tab. 51. I.*
Ex *valle d'Andona* & *Chiaravalle*.

11. Strombus canaliculatus, rostratus, ore angulofo, in summitate canaliculi striatus, deinde rugis oblongis tuberosus, albidus. *Gualter. Tab. 52 G.*
Ex *valle d'Andona*.

12. Buccinum majus, canaliculatum, rostratum, ore labioso, fimbriatum, canaliculo & rostro fatis productis, triangulare, striatum, papillosum, rugosum, colore fusco depictum. *Gualt. Tab. 50. B*
Ex *Chiaravalle*, cum nativo adhucco lore, & *Dertona*.

13. Strombus canaliculatus, rostratus, ore angulofo, striatus, rugosus, rugis eminentibus, albidus. *Gualt. Tab. 52. O.*
Ex *valle d'Andona*.

14. Strombus canaliculatus, rostratus, ore angulofo, striatus, rugo-

fus, papillofus, ore etiam interno ftriato, fubfufcus. *Gualterus*, *Tab.* 52. *F.*

Ibidem.

15. Buccinum majus, canaliculatum, roftratum, ore fimplici, ftriatum, rugofum, mucrone papillis coronato, duabus lineis parallelis fufcis circumfcriptum, labio externo dentato, intùs profundè ftriatum, ex atro fufco & albido infectum. *Gualter. Ind. Tab.* 46. *B.*

Ex loco *de Mollare* educitur hoc Buccinum planè petrefactum, & ex parte in feleniticam fubftantiam verfum.

16. Turbo pyriformis dictus. *D. Monti*, *Comm. Tom. II. p. alt. p.* 295.

Ubique ferè adinvenitur.

17. Buccinulus litoris Ariminenfis, olivæ nucleum æmulans. *Planci*, *pag.* 24.

Ex *valle d'Andona*, fed perrarò.

18. Buccinum elegantiffimè ftriatum, ore rotundo. *D. Monti in Comm. Tom II. p. alt. p.* 296.

Ex *Detona.*

S T R O M B I T E S.

1. Strombus integer, vulgaris, mucrone gradatim producto, papillofo, feu muricato, ex albido fubflavus. *Gualt. Tab.* 54. *M.*
   Ex *Dertona* & *Sciolze*.
2. Turbo apertus, canaliculatus, rectiroftrus, ftriatus, ftrus papillofis, in primâ & fecundâ fpirâ aculeis obtufis muricatus, colore muftelino nigricans. *Gualt. Ind. Tab.* 56. *H.*
   Ex *la Piovata*, *Sciolze*, *Arrignano*, *Dertona*, *Incifâ*, *Tigliole*, &c.
3. Strombus canaliculatus, acuminatus, mucrone gradatim producto, papillis oblongis diftincto, lucidè fubflavus. *Gualt. Tab.* 52. *H.*
   Ex *Maranzana*, *Lucello*, *Caftelnuovo*, *Tigliole*, *Chiaravalle*, *Arrignano*, *Sciolze*.
4. Strombus fulcatus, vulgaris, lævis, candidiffimus, maculis croceis feriatim difpofitus circumdatus, & lucidè notatus. *Gualt.* 53. *G.*
   Ex *Lucello*, *Chiaravalle*, *Der-*

tona & *Sciolze*. Specimina ex colle quodam *di Chiaravalle* eruta maculas croceas adhuc exhibent, ut etiam Dertonensia.

5. Turbo integer, vulgaris, maximus, densissimè striatus, spiris triginta circiter elongatus, fuscus. *Gualt. Tab.* 58. *A.*

Ubique copiosissimè, sed rarissimè integer.

6. Turbo apertus, sulcatus in margine, & spirarum papillis rugosis æquidistantibus exasperatus. *Gualt. Tab.* 57. *L.*

Ex *Chiaravalle*, *Dertona* & *valle d'Andona.*

7. Turbo apertus, lævis, candidus, maculis rufis densè depictus, viginti spiris finitus. *Gualt. T.* 56. *B. Fig. maj. & min.*

Vallis d'Andona & *Sciolze* majora, minora verò suppeditat *Chiaravalle.*

8. Turbo apertus, sulcatus, minutissimè per longitudinem striatus, aliquandò cancellatus, livido & plumbeo colore obscuratus, in spirarum commissuris fasciâ candidâ, aliquan-

dò parvis punctis rufis seriatim dispositis circumdatus. *Gualt. Tab.* 57. *O.*

Ex *Chiaravalle* & *Sciolze.*

9. Turbo apertus, canaliculatus, obliquè incurvatus, striatus, minutissimis papillis undequàque exasperatus. *Gualt. Tab.* 57. *C.*

Ex *Chiaravalle.*

10. Turbo integer, vulgaris, spiris gradatim complanatis, striis minutissimis circumdatus, ex albo & roseo eleganter variegatus. *Gualt. Tab.* 58. *C.*

Ex *Arrignano, Monbello, Sciolze, Castelnuovo* & *valle d'Andona.*

11. Turbo apertus, latus, lævis, albidus, in spirarum commissuris maculis & lineis piceis signatus. *Gualt. Tab* 56. *C.*

Ex *Sciolze.*

12. Turbo integer vulgaris, minutissimè striatus, costâ acutâ eminente, helicis ferreæ instar, per medium anfractuum circumdatus, ex fusco subalbidus. *Gualt. Tab.* 58. *B.*

Ex *Monbello, Sciolze, Arrignano* & *Castelnuovo.*

13. Turbo lævis dictus. *D. Monti*, *Comment. Bon. Tom. II. pag. 295. Fig. 4.*
 Ex *valle d'Andona*, *Sciolze*, *Annone* & *Maranzana*.
14. Turbo virgatus albo-viridis, costulis tenuioribus, litoris Arimini. *Planci*, *de Conch. p. 28.*
 Ex *valle d'Andona* eduxi duo delicati hujus turbinis exemplaria.
15. Turbo integer fimbriatus, striatus, striis veluti funiculis in æquali distantiâ dispositis, & super uniuscujusque volutæ planum extantibus & eminentibus. *Gualt. Tab. 58. H.*
 Ex *Arrignano*.

Turbinitarum plures alias possideo species, structuræ pulcherrimæ optimèque servatæ, quarum icones non reperi apud Auctores, qui marina Conchil a describerunt. Arena conchilifera *vallis d'Andona* aliquot minuta & rara hujus generis Conchilia exhibet, sicuti & colles di *Sciolze*, *Lucello*, *Monale*, *Dertona*, *Maranzana*, &c.

MURICITES & ALATITES.

1. Muricites, ſeu Murex marmoreus *Rondeletii*, *de Teſt. lib. II. p. 76.*
   Ex *Maranzana* & *Dertona*, *le Mollare* & *Alice in Monte-Ferrato.* Gypſo intimè penetrata ſunt exemplaria, quæ poſtremo loco colliguntur; ſelenitico autem fluore pervaſa ex loco *le Mollare* habentur. Quæ ex montibus *Dertonenſibus* & *di Maranzana* habentur, optimè ſatis ſervata ſunt. Pulcherrimum habeo exemplar ex *Maranzana*, quod ponderat libram unam cum dimidio; neque in lapidem verſum eſt.
2. Strombus canaliculatus, roſtratus, ore labioſo, ſtriatus, papilloſus, auritus, aure admodùm craſſâ, & in quinque appendices aliformes longas & acutas, ſi extremum turbinis annumeres, expanſâ, ex albido ſubflavus. *Gualt. Ind. Tab 53. B. C.*
   Ubique frequens, ſed ſæpiſſimè abruptis alis: integra ſpecimina præbent colles *di Maranzana* & *Chiaravalle.*

3. Strombus canaliculatus, rostratus, ore labioso, striatus, papillosus, auritus, aure admodum crassâ, & in quatuor appendices breviores expansâ, ex candido cinereus. *Gualt. Tab.* 53. *A.*

Ex *Tigliole & la Piovata.*

4. Harpa nobilis. *D'Argenv. Conch. Tab.* 20. *B.*

Ex *Augustâ-Taurinorum.*

5. Strombus integer, ore labioso, striis raris veluti fasciis elatis & rotundis transversim striatus, mucrone papillis diviso & signato, candidus, maculis parvis rubiginosis aut pullis variegatus. *Gualt. Ind. Tab* 55. *A.*

Ex *valle d'Andona, Dertona & Chiaravalle.*

6 Buccinum majus canaliculatum, rostratum, ore labioso, fimbriatum, labio externo dentato, striis, costulis & plicaturis eminentibus, croceum, ex albo fasciatum. *Gualt. Tab.* 49. *G.*

Ex *Montaldo.*

P U R P U R I T E S.

1. Purpura curvirostra, striata, papillosa, rugosa, canaliculo incurvo in longum satis producto, tota crocea. *Gualt. Ind. Tab. 37. F.*
   Ex *Montaldo* & *valle d'Andona.*
2. Purpura rectirostra, mucronata, striata & muricata, aculeis acutis rectis, nonnullisque incurvis, canaliculo longissimo similiter muricato, subalbida. *Gualt. Ind. Tab. 31. A.*
   Ex *Lucello* & *la Piovata.*
3. Purpura rectirostra, umbonata, striata, aculeis rectis & acutis armata, albida. *Gualt. Tab. 30. F.*
   Ex *Sciolze, valle d'Andona, Lucello, Tighole, Montaldo, Dertona* variisque locis.
4. Purpura ventricosa. *Bon. Cl. III. n. 282.*
   Ex *Chiaravalle, Dertona* & *valle d'Andona.*
5. Purpura rectirostra major, aculeis longis & incurvis armata, albida,

aliquandò rubescens. *Gualt. Ind. Tab. 30. D.*
Ex *valle d'Andona*, *Montaldo*, *Belvedere*, *Incisa*.

6 Purpura haustellum, longiore rostro, canaliculo donatum, spiris denudatum. *D'Argen. Conch. p. 296. Tab. 19. B.*
Ex *Chiaravalle*.

7. Purpura rectirostra, mucronata, tuberosa, canaliculo satis elongato, colore pullo & subalbido depicta. *Gualt. Tab. 30. C.*
Ex *Chiaravalle*

8. Purpura, seu Cochlea canaliculata, extrorsùm incurvata, vulgaris, densissimè striata, costis plicatis & tuberosis exasperata, obscurè terrea, fasciis purpureis leviter depicta. *Gualt. T. 31. C.*
Ex *Montafia*.

Volutites & Cylindrites.

1. Volutites, seu Cochlea conoïdea, mucronata, insigniter striata, striis crassis & latis, mucrone papilloso, fulva, unicâ fasciâ albâ colore subrubro

rubro undatim variegatâ circumdata. *Gualt. Tab.* 20. *O.*

Ex *Sciolze* & *Augustâ-Taurinorum.*

2. Cochlea conoïdea, mucronata, lævis, albida, apice aliquantulum striato. *Gualt. Tab.* 20. *B.*

Ex *Maranzana.*

3. Cochlea conoidea, subfusca, lineis ex rubro obscuro alboque interruptis circumdata, & penetrata. *Gualt. Ind. Tab.* 22. *H.*

Ex *Tigliole.*

4. Cochlea longa, pyriformis, vulgaris, læviter striata, ex albido purpurascens. *Gualt. Tab.* 25. *G.*

Ex *valle d'Andona.*

5. Cochlea cylindroidea, lævis, vel subrufa, vel leucophæa, vel albida, maculis subpurpureis distincta. *Gualt. Ind. Tab.* 23. *C. D. E.*

Ex *Sciolze* & *Augustâ-Taurinorum.*

6. Cochlea longa, pyriformis, vulgaris, cinerea, albidâ fasciâ distincta. *Gualt. Tab.* 25. *C.*

Ex *iisdem locis.*

7. Cochlea cylindroidea, oris labio

interno in summitate fimbriâ obscurâ striatâ distincto, subalbida, ex fusco undatim lineata, fasciâ latâ prope oris sulcum notata. *Gualt. Tab. 23. H.*

Ibidem.

8. Cochlea conoidea umbonata, in apice tantùm striata, obscurè crocea, ex albido radiata & maculata. *Gualt. Tab. 21. A.*

Ex *Sciolze*, sæpiùs per fragmenta.

9. Cochlea conoidea, basi planâ & insigniter coronatâ, candidissima & luteo punctuata, maculata & fasciata, lineis interruptis pullis nigricantibus circumscripta, rostro obscuro & violaceo. *Gualt. Tab. 22. A.*

Ex *vicinüs Taurinorum* & *Sciolze*; rarò etiam hujus integra exemplaria colliguntur.

10. Cochlea conoidea, umbone satis complanato, apice transversim striato, magna, ponderosa, subalbida, notulis helvaceis vel rufis per seriem dispositis circumscripta. *Gualt. Tab. 21. B.*

Ex *Sciolze*.

11. Cochlea conoidea, umbonata, umbone papilloso, apice striato, candida, magnis maculis luteis nebulata. *Gualt. Tab.* 21. *L.*
 Ex *Sciolze*, *Dertona*, *Maranzana* & *valle d'Andona*; sed parcè.
12. Cochlea conoidea, umbonata, colore mustelino depicta, striis seu lineis integris, veluti serico subtilissimo filo, undique cincta & fasciata. *Gualt. Tab.* 20. *C.*
 Ex *Sciolze*.

GLOBOSITES.

Globositarum exemplaria aliquandò reperi in vicinis *Augustæ-Taurinorum*, ad radices collis cujusdam ad lævam montis PP. Capucinorum siti, qui locus est petrificatis plenissimus. Hos autem Globositas suis marinis respondentibus referre impossibile est, conchilis plurimùm immutatis.

PORCELLANITES.

Minimè frequentes sunt Porcellanitæ. Diversorum Porcellanitarum

fragmenta adinveniuntur in collibus quibusdam *di Sciolze*. Unum Porcellanitem collegi in *valle d'Andona*, qui est Porcellana *Asellus* dicta. Copiosi sunt Porcellanites in colle memorato Taurinensi, eorum substantiâ in Selenitem versâ. Ibi multiplicis figuræ & magnitudinis eruuntur; sed cùm in hoc genere Conchilii color & variæ colorum compositiones species definiant, qui nullus ampliùs superest in his Porcellanitis, paucas omninò liquet species enumerare, eas nimirùm, quas forma potiùs distinguit. Sequentes igitur enumeramus.

1. Porcellana *Asellus* dicta. *D'Argenville, Conchil. Tab. 21. E. F.*
   Ex *valle d'Andona* & *Augustæ-Taurinorum.*
2. Porcellana Talpa *D'Argenville, Conch. Tab. 21. H.*
   Ex *vicinis Augustæ-Taurinorum.*
3. Porcellana Achates virgata. *D'Argenv. Conch. Tab. 21. K.*
   Ibidem.

OPERCULITES.

Operculitis inter marina fossilia rarò occurrentis exemplaria aliquibus locis, sed parcè, colliguntur in colle quodam Taurinensi, in collibus *di Sciolze*, *Maranzana*, *la Piovata*, &c. Dertonenses colles copiosiùs, quàm cæteri, Operculitas exhibent. Repertæ verò sunt sequentes species.

1. Operculum testaceum, subrotundum, in se contortum, subalbidum, aliquandò ex candido rubrum, aliquandò flammeum, *Umbilicus marinus*, *lapis S. Margaritæ*, *oculus S. Luciæ* dictum. *Gualt. Ind. Tab. 70. C. F.*

Quod litterâ C exhibetur à Gualtierio, majus est; & hujusmodi amplitudinis Operculitas in *valle d'Andona* collegi. Litterâ verò F repræsentantur duplo minores Operculitæ, ad maris litora frequentissimi, & apud nos repertundi in collibus dictis *Taurinensi*, *di Sciolze*, *Maranzana*, *Tigliole*, *la Pio-*

vata, *di vico del Mondovi*, & uberiùs in collibus *Dertonensibus*.

2. Operculum testaceum, ex unâ parte rectum, ex alterâ subrotundum, minutissimè striatum, striis à summitate ad peripheriam excurrentibus, subtùs marginatum. *Gualt. Ind. Tab. 70. P.*

Ex *Maranzana* mihi provenit optimè servatus & integerrimus hic Operculites.

3. Operculites tenuissimus quidam Taurinensis. Hujus similem apud Auctores nondum offendi. Magna copia ejus est in colle noto Taurinensi; & diversæ amplitudinis ibi adinvenitur, majoribus unguem æquantibus, minimis vix lineam. Fragiles sunt hi Operculitæ, & tenuissimi, formâ ellipticâ, quæ ex unâ parte rectâ tantisper truncata est.

ICTYOLITHUS.

Detegere nondum licuit piscium impressiones, quales eruuntur in montibus Glaronensibus, Oeningensibus,

Pappenheimensibus, Islebianis, Veronensibus, &c. dentes piscium, vulgò Glossopetræ dicti, solummodò usque nunc occurrerunt; neque etiam frequentes sunt. Loca quæ Glossopetras protulerunt, sunt colles *di Monbello*, *di vico del Mondovi* & *Dertonenses* colles, qui abundè magis Glossopetras continent, easque Melitensibus similes. Multiplicis generis adsunt, cuspidati nimirùm, subulati, triangulares, orâ lævi aut serratâ, & conici.

ZOOLITHUS.

Nunc ultimò supersunt quadrupedum petrificata recensenda. Zoolithi partium quadrupedis exemplar apud nos repertum est omninò insigne, elephantis scilicet, ut puto, sceleton. Hujus inventi notitiam debeo amico meo clarissimo Vincentio Veyluva, Medico Astensi, qui Conchiliorum insigni collectione in viciniis *Astarum* factâ, Musæolum meum pluries ditavit. Illius enim ad aures cùm hujus reperti notitia pervenisset, per litteras

statim me fecit participem. *Verbum non habeo*, inquit, *quo tibi significem summum dolorem, quem intulit acerbus hoc manè acceptus nuncius: in vineâ scilicet quâdam loci Sinay* (1) *superioribus annis cùm foderetur, fortè fortunâ fossores in magni quadrupedii sceleton incidisse, cujus caput bubulum magnitudine longè superabat, & duobus longis cornubus armabatur; dentes erant amplissimi, qui sceleti universi magnitudini respondebant. Unius ex minoribus ponderis explorato, repertum est pondere libras duodecim; costarum amplitudo erat maxima Doleo interim summoperè, tam eximii hujus petrificati ne costulæ frustulum superesse, quod tibi communicem, cùm partim à rusticis fuerit dispersum, partim ab extero Bergomate quodam transvectum. Ferunt dentem unum in Magni Ducis Etruriæ Musæum transiisse; certiorem interim te facio, costam unam (neque ex majoribus est) missam fuisse ad*

(1) Sinay est oppidum paucis milliaribus ab urbe Astarum distans.

præcl. virum olim Præceptorem nostrum Johannem-Baptistam Bianchi.

Costa hæc inter rariora Musæi sui etiam nunc asservatur ab hoc præcl. viro nostro olim dilectissimo Præceptore, nunc Magistratûs Medicorum Taurinensium Principe. Longitudo hujus costæ est pedum trium Parisiensium, cum pollice uno; ambitus in ampliori parte est pedis unius; crassities unciæ unius cum tribus lineis; pondus librarum nostrarum undecim. Costa hæc integra non est, sed alterâ parte abrupta; & quantùm ex ejusdem curvaturâ conjicere licet, portio deficiens insignis est.

Licèt itaque integrum sceleton non viderim, ex hâc, quæ superest, amplissimâ costâ, dentium pondere, cornuum armaturâ, & sceleti amplitudine, mihi conjicere liceat, elephantis sceletum fuisse; & utinam tam eximium monumentum ita malè dispersum non fuisset, monstrarique posset. Inter rarissima petrificata locum suum haberet profectò: dentes enim, cornua, ossa varia, eaque dispersa, pluribus reperta locis sunt, ut in Angliâ,

Germaniâ, Russiâ, Siberiâ, & in proximâ Etruriâ (1); sed integrum elephantis sceleton rarissima omninò res est.

Inter Zoolithos quadrupedis demum etiam locum suum meretur cornu cervinum in Musæo meo asservatum, quod repertum est in argillæ strato collis cujusdam *di Capagnole*, & mihi humanissimè datum à doctissimo viro Equite de Rubilant, Regii laboratorii Chymici supremo Directore, & fodinarum omnium Regis nostri generali inspectore. Neque reticendus dens quidam, quem reperi in colle quodam *di Sciolze* cum iis conchiliis, quæ cæruleum colorem acquisierant. Dens iste ex flavo cærulescit, & similis est denti cuidam à Cl. Reaumurio descripto (2), ubi integram Turcosæ Gallicæ Historiam exponit. Eum idcircò inter quadrupedum dentes referimus; minimèque dubitamus, veram etiam Turcosam constituere.

(1) De ossibus elephantium fossilibus legi merentur Dissertationes Sloanii in Commentariis Academiæ Regiæ Parisiensis anni 1727. & Targioni Tozzetti itinerum suorum, *Tom. V. p.* 329.

(2) Mém. de l'Acad. an. 1715. *pag.* 174.

INDEX LOCORUM
præcipuorum, quibus corpora marina fossilia collecta sunt.

IN *provinciâ Taurinensi* : Augustæ Taurinorum proximi colles, Andereno, Arrignano (1), Bardassano, Casal-Borgone, Chieri, Cinzano, Gassino, Lovansito, Marentino, Moriondo, Monbello, Pecero, Pino di Chieri, Rivalba, Sciolze, Vernone.

In *provinciâ Albæ-Pompeiæ* : Canale, Morra, Neive, Sommariva del Bosco, Serralonga.

In *provinciâ Astensi* : Universa penè hæc provincia omnium oculis exhibet fossilia Conchilia.

In *provinciâ Montis-Regalis* : ejus viciniæ, Bagnasco, Monbasilio, Villanova.

In *provinciâ Niceensi*: Montes mari Niceensi proximi.

(1) Auctor libri *Traité des Pétrifications. A Paris. in-4.* recensens loca singula, quibus adinveniuntur corpora marina fossilia, asserit eadem reperiri in vicinus Taurinorum-Augustæ, Niceæ & Carinani. Carmanum urbs Pedemontii est, in quâ dam planitie sita, nec in ejus viciniis videntur fossilia. Puto hunc Auctorem eo loco potiùs intelligere Arrignanum, oppidum fossilibus his feracissimum, & cujus fossilia in Helvetiam pervenisse aliquot abhinc annis certò scio.

FINIS.

LIVRES d'Histoire Naturelle, Médecine, Chirurgie, Physique & Mathématique, imprimés, ou qui se trouvent en nombre chez le même Libraire.

ABREGE' de l'Essai sur l'Entendement humain, trad. de Locke par Bosset, 12 — 2 l. 10 s.
— de la Médecine pratique, trad. d'Allen, 7. v. 12. — 27 l. 10 s.
Accouchemens de Mauriceau, 2 v. 4. — 15 l.
Ælianus de Animalibus, græcè & latinè, 2 v. 4. — 24 l.
Agriculture parfaite, trad. d'Agricola, 2 v. 8. *fig.* — 9 l.
Analyse démontrée par le P. Reyneau, 2 v. 4. *fig.* — 21 l.
Anatomie de l'homme, trad. d'Heister, 3 v. 12. *fig.* — 7 l. 10 s.
— par Winslou, 4. *fig.* — 12 l.
Art de conserver la santé, trad. de Cheyne, avec un abrégé des alimens, 12. — 3 l.
—, de cultiver les Muriers blancs, d'élever les vers à soie & de tirer la soie des cocons, 8. — 4 l.
Barrelieri, Hist. Plantarum, &c. fol. fig. — 24 l.
Bernoulli opera omnia, 1740. 4 v. 4. — 36 l.
— *ejusdem & Leibnitii Commercium Philosophic. & Mathem.* 1745. 2. v. 4. — 18 l.

Bibliothéque des Philosophes Chymiques, 4 v. 12 12 l.
Burmanni Thesaurus Zeylanicus, seu planta insula Zeylanica, 4. *fig.* 25 l.
Caminologie ou Traité des cheminées, avec le moyen de les empêcher de fumer. 12. *fig.* 3 l.
Comment. de Mathiole sur Dioscoride. *fol. fig.* 12 l.
Cours de Chymie, par Lemery, 4. 25 l.
—— suiv. les Principes de Newton & de Stahl, 3 v. 12. 6 l.
Dagoumer Philosophia, 4 v. 12 8 l.
Dictionnaire d'Agriculture, Jardinage, &c. 2 v. 4. *fig.* 20 l.
—— Œconomique, par Chomel, 4. v. *fol.* 66 l.
—— le Supplément *séparément*, v. *fol.* 33 l.
—— portatif de Peinture, Sculpture & Gravûre, 8. 1757. *fig.* 5. l.
—— Philosophique, ou introd. à la connoissance de l'homme, 8. 1757. 3 l.
Doutes de M. Klein sur le systême de M. Linnæus, 8. broché. 1 l. 10 f.
Entretiens Métaphysiques, par le P. Mallebranche, 4 v. 12. 5 l.
—— par le P. Regnault, 3 v. 12. *fig.* 7. l. 10 f.
—— Physiques, par le même, 5 v. 12. 12 l. 10 f.
Essais de Physique, trad. de Mussenbroeck, 2 v. 4. *fig.* 20 l.
—— sur l'Entendem. humain, trad. de Locke, 4 v. 12. 10 l.
Examen du Pyrrhonisme, par Crousas, *fol.* 15 l.

Explication Physique des sens, des idées, &c. trad. de l'Anglois, 2 v. 12 1755. 5 l.

Heisteri institutiones Chirurgicæ, 2 v. 4. *fig.* 21 l.

Histoire de la Chirurgie en France, 4. & 12.

—— de la Philosophie Hermétique, 3 v. 12. 7 l. 10 f.

—— des drogues, par Pomet, 2 v. 4. *fig.* 18 l.

—— des Plantes, par Bauhin, 2 v. 12 *fig.* 5 l.

—— Naturelle du Sénégal, par M. Adanson, 4. *fig.*

Instructions sur les jardins, par de la Quintinie, 2 v. 4. *fig.* 15 l.

Lettres philosoph. sur les Physionomies, 12. 2 l. 10 f.

—— sur le progrès des Sciences, par M. de Maupertuis, 12.

Médecine (la) & la Chirurgie des pauvres, 12. 2 l. 10 f.

—— la même, par Hecquet, 4 v. 12. 10 l.

Monde (le) enchanté, trad. de Becker, 5 v. 12 15 l.

Newtoni Optice, ex Recens. Clarke, 4. 10 l.

—— *ejusdem opuscula*, 3. v. 4. 21 l.

Œuvres diverses de Locke, 2 v. 12. 5 l.

—— de M. de Maupertuis, 4 v. 8. 1756 20 l.

Ord naturel des Oursins de mer & Fossiles, &c. trad. de M. Klein, 8. *fig.* 6. l.

Origine de la Physique, par le P. Regnault, 3 v. 12. 6 l.

Pharmacopée de Charas, 2 v. 4. 12 l.

—— de Lémery, avec les doses Françoises, 1754. 4. 18 l.

—— de Quincy, trad par Clausier, 4. 15 l.

Réflexions ſur la Phyſique moderne, par M. l'Abbé ***, 12. 1757. 2 l.
— l'immortalité de l'ame, 12. 3 l.
Regne animal, (le) par M. Briſſon, Lat. & & Franç. 4. 1756. 9 l.
Remarques ſur la mâchoire inférieure, par M. Winſlou, 12. 1 l. 10.
Rieger, introd. in notitiam rerum naturalium & arte-factarum, 4 v. 4. 36 l.
Science du calcul, par le P. Reyneau, 2 v. 4. 20 l.
Syſtême naturel du regne animal, 2 v. 8. 9 l.
Tableau de l'Amour, nouv. édition, avec des notes, 2 v. 12 *fig.* 5 l.
Traité des maladies des yeux, par de Saint-Yves, 12. 3 l.
— de la matiere médicale, par Geoffroy, 10 v. 12. 25 l.
— Suite du même livre, contenant l'Hiſt. des animaux, 3 v. 12. 10 l. 10 ſ.
— de la Structure du cœur, par M. de Senac, 2 v. 4. *fig.* 20 l.

